

Disputatio medica inauguralis de methodo tractandi, et præcavendi, febrem flavam indiarum occidentalium; quam ; annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird ... necnon amplissimi Senatus Academici consensu, et nobilissimæ Facultatis Medicæ decreto ; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis ; eruditorum examini subjicit Jacobus Veitch, chirurgus, Edinburgenæ Britannus [&c;].

Contributors

Veitch, James.
London School of Hygiene and Tropical Medicine

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et Socii, 1808.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z4awamja>

Provider

London School of Hygiene and Tropical Medicine

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by London School of Hygiene & Tropical Medicine Library & Archives Service. The original may be consulted at London School of Hygiene & Tropical Medicine Library & Archives Service. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



*KL


X-X





Melville.


H. 2:

































LIBRARY OF THE




UNIVERSITY OF MICHIGAN

ANN ARBOR, MICHIGAN

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
METHODO
TRACTANDI, ET PRÆCAVENDI,
FEBREM FLAVAM
INDIARUM OCCIDENTALIUM.

INSTITUTO MEDICO
DE BAHIA
DE BAHIA
DE BAHIA
DE BAHIA




of the

INSTITUTO MEDICO
DE BAHIA

Author Mr. Pendas with the
most respectful compliments of the
author.

INSTITUTO MEDICO
DE BAHIA



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
METHODO
TRACTANDI, ET PRÆCAVENDI,
FEBREM FLAVAM
INDIARUM OCCIDENTALIUM;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JACOBUS VEITCH,

CHIRURGUS,
EDINBURGENÆ BRITANNUS,
SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.
ET PRÆSES ANNUUS;
ATQUE SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS;

NECNON
NUPER EX CHIRURGIS PRIMARIIS NOSOCOMII REGII NAVALIS
PLYMUTHI.


Rectè enim Veritas, Temporis filia dicitur, non Autoritatis.

BACON.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1808.



3395

ALPHABETICALLY ARRANGED
HENRY
AND
THE
MAY
THE
OF

D. GEORGE BARRIS, S. J.
OF
THE
OF
OF
OF

JACOB
OF
OF
OF
OF
OF

OF
OF
OF



EDWARDS
AND
1808

VIRO NOBILI, ATQUE SENATORI ILLUSTRISSIMO,

HENRICO
VICECOMITI DE MELVILLE,
&c. &c. &c.

NAUTARUM BRITANNIÆ

AMICO,

LIBERALITATE CUJUS,

CONSILIIIS ATQUE HUMANITATE,

OMNES ANIMO CONTENTO ATQUE ARDENTI,

PRO REGE ET PATRIA

CERTANT ;

PATRIÆ ETIAM CARO,

PROPTER ANIMI VIGOREM ATQUE CONSILIORUM

SAPIENTIAM SUMMAM,

QUIBUS CUM CLARISSIMO

GULIELMO PITT,

HAS INSULAS EX HORRORIBUS BELLI CIVILIS

SERVAVIT :

HANC DISSERTATIONEM MEDICAM,

QUALEMCUNQUE DEMUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

D. D. D.QUE

AUCTOR.

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

HENRY

VERNON DR. MEDICAL

1880

WATSON

AND

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

WATSON

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS


DE

METHODO

TRACTANDI, ET PRÆCAVENDI,

FEBREM FLAVAM

INDIARUM OCCIDENTALIUM.



EXORDIUM.

HUIC morbo nomen vulgò impositum selegi ; nec idè quia optimum putaverim, sed quia usitatius sit ; hæcce enim febris, rarè vel nunquam per cutis flavedinem, primis præsertim diebus, indicatur. Forma atque facies tota ejus omninè equidem mutantur, antequam cutis ipsa flavescit ; hanc propter causam, minùs justè for-

san nominatur morbus ex indiciis, quæ ultimo tantùm stadio ejus sese ferè ostendunt.

Experientia atque praxis medica quas per aliquot jam annos habui, præsertim exercitæ fuerunt inter eos navigatores, nuperrimè ex Europa ad Indiam Occidentalem attingentes. Inter hos cum primùm ex hac febre ægrotarent morbus ardentem, quàm flavam formam sive speciem potiùs induit. Quædam certè hujus morbi symptomata eadem ferè sunt ac in aliis febribus; nonnulla verò propria, atque longè diversa, exhibet: Raptim suas vires lethales ostendit, citò naturæ atque compaginis sanæ vires opprimuntur. Hoc modo vel cita et miseranda mors ægrotum tollit, vel vires animales omninò franguntur, ideòque ad omnia munera vitæ prorsùs inutiles evadunt. Porrò, etiamsi doctissimus JACKSON, LIND, MOSELEY, BLANE, MACLEAN, WRIGHT*, atque alii benè multi,

inter

* Ut mihi quidem videtur methodus applicandi aquam frigidam in febribus harum regionum, scilicet per affusionem, debetur omninò Doctori WRIGHT.

inter medicorum peritissimos, multa effecerunt hac in re medicis suis laboribus; restant tamen multa etiamque difficilia, quæ sunt adhuc discenda, de hujus morbi medela. Ideò nobis quoque necessarium est hîc, in limine hujus opusculi, confiteri remedium certum vel specificum, ut dicunt, ullum, aut rationem medendi hujus morbi sævissimi, nobis non adesse. Nostrium igitur propositum est tantùm hoc loco, eam methodum medendi proponere vel narrare quæ ex experientia atque usu nobis optimum videtur.

Ad hanc rem tractandam quinetiam magis impellimur propter innumeras ferè opiniones varias, atque inter se discordes, quæ adhuc medicos agitant, de natura atque remediis hujus morbi. Quod attinet diagnosin, et curam hujus febris, parum vel nihil novi forsàn habeo quod dixerim. Supervacaneum verò forsàn non erit approbationem nostram addere his medicis qui, ut nobis quidem videtur, verum traxerunt mitem investigationis hujusce tandem inveni-erunt; etiamsi labores eorum, vix adhuc attigerint eum certitudinis gradum, quem omnis

bonus et solers medicus in votis habet. Talis enim quamvis medicorum honorem et laudem ex corde optat, nihil humanum tamen a se alienum putat; nec credit aliquem hominum esse utilem, nec ad munera vitæ socialis aptum, nisi ut miseris succurrere discit.

Hujus morbi exitialis vires corrigere, nonne optimum foret remedium, medicos aliquos Britanniaë peritissimos stipendiis aptis ex thesauris publicis datis, ad Indiam Occidentalem transmittere, hoc solo atque unico proposito, scilicet, ut morbi hujus naturam atque methodum medendi accuratiùs atque penitùs investigarent? Verùm enimverò vix expectandum est medicos privatos, quamvis re medicâ peritissimos, ad investigationem et remedia hujus morbi sese publicè accincturos. Horum quippè facultates atque solertia longè meliùs applicantur pro re sua, quàm si scientiam suam ad rem publicam devoverent. Contrà, medici navales atque militares parum habent temporis, literis mandare suas opiniones de hoc morbo, propter sua negotia necessaria in ægrotis tractandis, quibus continuè et præsertim occupantur. His perpensis,
mirum

mirum non erit quare in hac re indaganda tam lentus fit progressus; et quare si tandem morbi natura aliquantulum meliùs intelligatur, finito bello, talis scientia vix adeò utiliter applicari potest. Selecti igitur ex peritissimis medicorum navalium vel militarium ut suprà dictum est, propter investigationem naturæ, et remedium alicujus morbi periculosi, ubicunque per terrarum orbem sese ostenderit, perutiles essent. Ex his medicis scientia recepta summi pretii foret quoque, quoniam leges de navibus exonerandis (Anglicè dictæ *quarantine*) in melius dirigeret. Haud levis momenti hoc; coloniis præsertim Britannicis, atque etiam aliis gentibus quibuscunque nobis commercium maritimum est; sic enim nec mora, nec impedimentum negotiis maritimis imponerentur, nisi omninò necessaria viderentur*. Res omnis tenta,

* Si tale consilium unquam initum erit posthac, necessitas summa erit dandi medicis ita occupatis facilitatem maximam praxeos per milites, pariter ac nautas, atque etiam potestatem habere debent qua seligerent, ut iis visum est, ex ægrotis eos qui aptissimi erant

tanda, atque omni modo nitendum est ea mala depellere, quæ experta est Britannia, atque etiam nunc patitur ex febre hacce sævissima quæ tam multos ex maximè strenuis civibus suis, quotidie tollit, benè merentibus de patria sua, et bello et commercio navali feliciter occupatis. Quoniam exercitus miserrimè deletos atque socios navales pereuntes vidi ex hoc morbo, quoniam spectatissimos atque ornatissimos ex amicis meis ex eodem malo amisi; res est ex corde; ideòque facilè mihi, ut spero, condonabitur, si fusiùs aliquatenus disserere hac de re visus sim.

HISTORIA MORBI.

FEBRIS de qua sermo est ferè debilitate, quæ deliquio animi proxima est, grassatur; atque aliquatenùs cum aliis signis omnium aliarum febrium,

erant suis observationibus, atque praxi medicæ; etiamque hoc modo facilè evitari potest res ingrata, nempe, cum aliis medicis militaribus vel navalibus negotia habere.

brium, tales sunt, languor, lassitudo, ictus artieriarum auctus, calor cutis præeunte frigoris sensu ; nonnunquam per totum corpus, aliquando verò per columnam vertebralem tantùm atque dorsum, perceptus est ; eodem tempore hæ partes dolore tentantur. Observandum est febrientem nonnunquam negare se percepisse sensum frigoris, vel per totum corpus, vel per partes ejus. Indicia prædicta celeriter in febrem veram accenduntur, ut planè patet ex nausea, anxietate, atque calore aucto ; artieriarum pulsus per totum corpus fit violentior ; præsertim verò observatur in carotidis atque temporum ; facies fit tumida ; tunicæ albugineæ oculorum vasa, sanguine sunt plena ; alba atque sordida fit lingua ; sitis ferè inexplebilis ; adsunt quoque dolores sævi capitis ; atque etiam oculorum fundis ; dolor dorsi quoque fatigat ; pulsus fit frequens, plenus, validus, summa cutis incalescit atque ferè arida est ; nonnunquam verò humida. Ventriculi nausea citò augetur, atque difficillimè ingesta retinentur, sive sint potus, sive medicamenta ; et rebus ita se habentibus, quæcunque ventriculus continet, perpetuo vomitu ejiciuntur

untur bile multâ colorata ; ægrotantis anxietas vix describi potest ; jactatio ejus magna est ; calor maximus, atque dolor cùm premuntur partes præcordiis vicinæ. Laboriosa fit respiratio ; atque cum suspirio, urina ferè colorem rubrum auctum ac turbidum exhibet ; quantitas solita verò ejus multùm deficit ; et morbus comitatur per totum ejus decursum constipatione maximè pertinace ; pulsus nonnunquam contrahitur ; neque ictus ejus plenè evolvitur ; plenior verò fit detractio sanguinis. Durante hoc stadio, sanguinis fluxus e naribus ; vel largus sudor, eruptiones, vel dejectio alvi, copiosa, biliaris, nonnunquam ægrotum recreant, et morbum solvunt, etsi perrarò.

Hoc est primum morbi stadium ; atque ferè finitur tertio die ; nonnunquam autem ad quartum diem prolongatur ; alio verò tempore, primo vel secundo die finem habet. Cùm primùm hunc morbum tractarem, initium stadii secundi, de quo nunc dicturus sum, quàm maximè fallax atque incertum indiciis suis inveni. Introitum enim ejus fecit remissione, vel saltem diminutione, multorum symptomatum quæ supra

prà descripsimus; et hoc modo medicus inexpertus sæpè inducitur sperare eventum felicem hujus morbi. Falluntur autem spes ejus; nam post inducias breves omnia in pejus ruunt. Ventriculi irritabilitas augetur; vomitus fit porraceus; debilitatur pulsus, atque vigore multum minuitur; incitatur verò nonnunquam; interdum verò mollis est, atque etiam subindè prope usque ad mortem habet motum regularem, minimè indicantem per se, grave, instans, atque præceps ægroti periculum. Humida atque glutinosa nunc fit summa cutis; urina quantitate parca est; et colorem subflavum exhibens; lingua fit arida atque decolorata; nonnullis verò humida, atque sordida; mens quoque aliquatenus turbatur, atque delirium instat; tota facies externa atque oculi morbum vehementer auctum mirè exprimunt. Tunicam albugineam flavedo nunc quoque occupat; hæc flavedo usque ad os, collum atque tempora sese extendit. Phænomena quæ jam nunc descripsimus comitari solet, augmentatio sæva vomitionis; et quæ ex ventriculo rejicitur similis est colore caffèæ fæcibus; et quantitate mul-

tum augetur, nempe res ingestas miro modo superat; debilior fit pulsus arteriarum; et nihil etiamsi mitissimæ naturæ ventriculo retineri potest. Respiratio difficilior fit; lingua nigrum colorem refert; et sudor frigidus atque glutinosus per totum corpus diffunditur. Colorem flaviorem ostendunt oculi; hic per faciem, collum, pectus, atque etiam per totam superficiem, defertur; suspirium convulsivum nunc ægrum occupat; simulque frigida fiunt manus, pedes atque crura; circa præcordia verò calor adhuc sentitur; delirat nunc ægrotus, lecto assurgere pertinaciter tentat; tremores habet; mussitat atque vix intelligi potest; sanguifluxus ex diversis corporis partibus nunc adsunt; nunc quoque vomitus fit ex nigro atque soluto sanguine; cujus quantitas maximè augetur, et verò quidem dejectiones alvi parem habent mutationem. Urina vel nigra redditur, vel omninò supprimitur; lividæ maculæ circum præcordia surgunt; singultus, ploratio, mussitatio, insensibilitas generalis, nonnunquam etiam distentiones nervorum, infelicem ægrotum miserrimè extinguunt; paucis ante diebus forsàn plenissimum vigorem

tam

tam animi quàm corporis et juventutis omninò possidentem. Hoc ultimum morbi stadium vix protrahitur ultra tertium diem; sæpenumerò finem habet intra viginti quatuor, triginta octo vel quadraginta horas ex tempore quo incepit.

QUÆ APPARENT INCISIS CADAVERIBUS.

SIGNA quæ sese offerunt incisis cadaveribus eorum qui ex hoc morbo periêrunt, eadem ferè sunt omnibus. Elevatis autem abdominis musculis, atque dissecto peritonæo, maximè decolorato, atque morboſo ſtatu omentum ostenditur, etiamque ad gangrænam ſupenumerò ſpectat. Eadem ventriculus quoque ostendit, et ferè flatu distenditur; tunica villosa ejus, necnon per totam ejus faciem internam, multùm abraditur. Jecinoris atque splenis magnitudo multùm quoque augetur; atque inſuper jecur colore multo flaviore quàm alia abdominis viscera pingitur. Fabricam quoque minùs firmam, ut videtur, poſidet ſplen quàm ſtatu ſuo ſano. Jecoris vasa ſanguinem vehentia, præter naturam distenduntur;

tenduntur; vesicula fellis quoque maxima saltem ex parte fluidum colore fusco continet; quodque etiam multum visciditatis habet; atque pars superior intestini in gangrænam quoque non secùs ac omentum vergit*.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

CUTIS flavedo; ventriculi irritabilitas, atque color niger ejus materie qui vomitu ejicitur; persæpè hoc morbo maximè generalia sunt signa, atque etiam pessimi ominis. De natura verò et origine horum signorum aliquid docemur simulac partium internarum statum benè perspiciamus. De hujus flavedinis fonte sive causa, plurimæ adhuc atque variæ inter medicos sunt opiniones. Dubitant enim anne bili soli
attribui

* Si phænomena quæ sese ostendunt cadavere inciso magis accuratè observata fuissent, (cutis flavedine neglectâ, quæ multis aliis morbis apparet), opiniones nostræ, de hujus febris natura, vix adeò inter se discordes essent hoc præsertim tempore.

attribui debet ; anne solutioni particularum sanguinis rubrarum serum inter natantium, atque hoc modo per totum corpus transeuntium. Ut nobis quidem videtur, duabus prædictis causis attribui possunt indicia sive symptomata periculosissima, quæ suprâ memoravimus. In hanc sententiam trahimur, quoniam in omnibus ferè morbi exemplis quæ observavimus, summæ cutis corporis flavedo nunquam locum habet, donec febris facies magnoperè mutatur, et nunc ad putredinem tendit. Hæc mutatio ortum dare potest, atque etiam augere, (præsertim cùm bilis quoque per vasa absorbentia in corporis omnes partes diversas diffunditur), summæ cutis flavedinem. Ubicunque hæc flavedo cutis durat donec prospera valetudo penè ex toto rediêrit, eo casu certè bili omninò tribuenda est. Ex ipso initio hujus morbi multum sensibilitatis quæ superficiei inflammatae propria est, exhibet ventriculus ; atque nobis equidem persuasum est, mutationem morbosam virium hujus visceris, inflammationi propagandæ aptam, ab initio ejus pari passu, usque ad mutatam formam febris, semper comitari etiamque plenè atque

que necessariò constituere, magna saltem ex parte, hoc lethale malum.

Ubicunque febris grassatur, tropicis præsertim regionibus, sine hac nota (nempè dispositione subire mutationem tendentem ad inflammationem) quæcunque methodus medendi adhibetur, phænomena longè diversa indicabit ex iis quæ de febre flava historia narrat; et nisi inflammatio justa proveciore morbo adsit, vix possibile est causam proponere, vel doloris a quo tentantur præcordia, vel anxietatis vix verbis describendæ, vel denique caloris atque vomitus qui hujus morbi stadium acutum comitari solent. Porrò, ut nobis quidem videtur, planè impossibile est explicare functiones læsas hujus partis corporis, vel proclivitatem magnam ad gangrænam, nisi vis inflammatoria priùs in hoc viscere sedem suam posuisset, quoniam gangræna veluti affectus ex causa sua propria ritè derivata est.

Signa quæ nobis offeruntur, dum irritationem aliquam localem tractamus, quæ etiam magnâ inflammatione comitatur, elucidare possunt aliquatenus saltem mutationes quas subit

ventriculus

ventriculus hoc morbo. Ponamus, verbi gratiâ, inflammationem aliquam partem accendisse, ad vitam verò minùs necessariam ; atque etiam hanc inflammationem remediis non extinguì, sed ad provectum gradum jam provenisse ; hujus inflammationis irritatio per totum compaginem serpit ; compago nunc, e contrario, repellit hanc actionem auctam in primum morbum ex origine localem ; sic duorum junctis viribus, sensatio atque vitalitas partis omninò exhauriuntur ; laxantur vasa ; sequitur remora, ut dicitur ; atque post hanc mutationem in promptu est gangræna, cui sequelæ sunt, color niger, fœtor, atque denique mors absoluta partium. Febre flavâ, nisi mors has mutationes prævenisset, nil dubito quin omnes mutationes prædictæ sese ostenderent. Quamvis verò ventriculi mutata conditio vix ad hunc magnitudinis morbi gradum fertur quem vidimus actione locali partis alicujus ad vitam minùs pertinentis ; tamen persuasum est, sectionem cadaverum opiniones quas nunc proposuimus satis benè demonstrare, atque firmare. Secretiones atque exhalationes

exhalationes morbosæ ventriculi ; sanguis dissolutus, bilis putrescens, omnia hæc sævo atque nigro vomitui ortum præbent.

DIAGNOSIS.

OMNINÒ impossibile est verbis describere, vel pingere omnia signa, quæ medicum peritum auxiliantur, dum hunc morbum ab aliis distinguere conatur. Si ægrotus juvenis et torosus est, sanguine abundans, atque jam nunc ex Europa venit ; si talem febris occupat, vel post insolationem, sive ex labore sub dio, sive voluptatis causâ hoc fit, vel si post intemperantiam, sive potûs, sive cibi ingluviem, febris tentat ; in hoc casu, symptomata omnia diligentissimè sunt observanda. Si nunc febris flava certè ingruit, citò apparebit multis signis, deliquio, sævo capitis dolore, cruciatu vix describendo, simul ac præcordia premuntur ; fastidio, vomitu, faciei rubore suffuso, actione carotidarum vehementer auctâ, torvo vultus aspectu, verbis nec describere possum ; signum verò nusquam non hunc morbum comitatur. Irritabilitas ventriculi morbosæ,

morbosa, vomitus niger; sanguifluxus ex diversis corporis partibus, alvi dejectiones sanguineæ, solutæ; provectionem morbum satis accuratè distinguunt.

PROGNOSIS.

SUFFUSIO rubra atque magna faciei; oculorum vasa vehementer inflammata; dolor capitis et delirium; plenus, frequens et validus pulsus arteriarum; anxietas magna, cutis arida, constipatio, simul cum vomitu sævo, omnia hæc pessima sunt signa. Si id quod ejicitur, nigrum fit, atque simul adsunt suspiria, singultus, debilis atque velox pulsus; sanguifluxus; tremores, distensiones nervorum; coma, sanguis dissolutus, vel per os, vel per anum ejectus; jam adesse mortem sæpè prænunciant. Sin autem capitis dolor minuitur, atque nausea, et anxietas, cum vomitu et præcordiorum dolore sopiuntur, si pulsus fit sanus et regularis, tunc de ægroto spes est bona. Si cutis summa sanam excretionem excernit, et liberam perspirationem effundit; si intestina motum eorum naturalem

C renovant;

renovant ; si eruptiones circum os pullulant ; si sanguifluxus remedium affert ; si denique somni sunt placidi, atque cibi desiderium est, omnia hæc eventum bonum atque felicem morbi planè indicant.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

CORPORIS fabrica Europæ incolarum, scilicet eorum qui jam ad ætatem virilem pervenerunt, et qui secundâ valetudine gaudent, maximè proclives eos huic morbo facit, simulac Indiam Occidentalem attingunt ; atque insuper, dum nulla temperamenta, ut aiunt, ab aggressionibus ejus prorsùs immunia sunt, nonnulli tamen corporis sani status huic malo procliviores esse observantur. Dum igitur investigamus eam sanitatis formam, sive corporis constitutionem, atque alias causas quæ opportunitatem dant huic feбри, prorsùs mirum videtur pueros atque fœminas omninò vel penè immunes esse ; atque etiam omnes eos qui jam provectores sunt ætate, nimirùm eo tempore vitæ cùm sensibilitas summa, et plena, et valida omnium vasorum actio quæ

quæ juventute adsunt, nunc multò minuuntur, ideoque etiam ad morbos inflammatorios inclinatio. Fibra delicatior atque mollior fœminarum et puerorum; eadem quoque fibra relaxata et minùs sentiens, ut fit ætate proveciore, omnia hæc contra hunc morbum tutelam maximè præbent. Dum animo perpendimus has immunitates, ut ita dicam, ab hoc morbo, aliquid exindè docemur, tam de natura ejus, quàm de remediis necessariis quibus eum prævenire possumus. Ea corporis conditio ubi temperamentum sanguineum, ut aiunt, adest; hoc est, scilicet, ubi sanguis abundat, et nervi maximè sunt sentientes, atque insuper, ubi et animus et corpus se invicem mutuò atque fortiter afficiunt; omnibus equidem terræ regionibus maximè opportuna est morbis inflammatoriis. Quinetiam supra dicta conditio corporis quàm maximè obnoxia est feбри flavæ simul ac afficitur regionum tropicarum calore. Verùm etiamsi corporis fabrica, et vigor, qualia sunt incolæ Europæ, prædisponere possunt ad hunc morbum; scire licet quoque omnem vitæ intemperantiam, donec cor-

pus longam consuetudinem regionis habet, esse maximè periculosam, atque miro modo augere proclivitatem ad hunc morbum.

CAUSÆ EXCITANTES.

LEGES quas natura ubicunque observavit, dum varias rerum classes ordine distribuit, (præsertim verò inter animalia et vegetabilia, hoc videri potest), fortiter inducunt nos credere fabricam aliquam peculiarem vel propriam, usu confirmatam, aptare multas animalium atque vegetabilium classes crescere, vigere, atque vitam suam sanam sustinere, per spatium temporis longius, secundum cœli temperiem ubi primò nascuntur*. Ars botanica atque zoölogia historix naturalis partes hæc planè docent; etiamsi verò hominum ingenia multa atque difficilia his rebus jam superârunt, adhuc tamen harum re-

rum

* Cùm de fabrica loquor, præter constitutionem, et structuram originalem ex parentibus derivatas, volo etiam comprehendere omnes has mutationes quæ oriuntur ex methodo vivendi atque cœli temperie.

rum amatoribus quique etiam utilia præstare volunt hominibus, multa desiderantur, scilicet, quæ angorem animi afferunt; propter difficultates quæ has naturæ leges prorsùs ex oculis occultant. Si naturæ consilia per orbem terrarum perscrutemur, si quæ per oceanum atque per aërem indiès facta sunt, investigemus; fabricam corporis fortiter retinere suis propriis regionibus, varias classes tam animalium quàm vegetabilium, atque his regionibus eâdem fabricâ motus eorum restringi, inveniemus. Homo autem qui mentis facultates possidet, exindè longè antecellit omnia animalia, atque etiam gradu summo omnia vegetabilia; etiamsi verò his mentis facultatibus tam mirè pollet, has naturæ leges supradictas evadere non potest; quibus aliquatenùs subditus est non secus ac bruta animalia atque vegetabilia, quæ proprium et natale solum habent; unde moveri sine periculo vix possunt. Homo natale cœlum mutat, in aliam terræ regionem prorsùs diversam, tam cœli temperie quàm moribus, defertur; amicos sui amantissimos quasi ex cunabulis relinquit; atque tunc in morbum lethalem persæpè incidit, cujus morbi

origo in hoc casu, ni fallor, omninò attribuenda est cœlo mutato ; non autem contagioni, ut nonnulli nec parvi nominis affirmant. Et nobis quidem hoc vix mirum videtur, simul ac animo perpendimus varios modos externos atque causas diversas quibus compago sana corporis, subitis mutationibus cœli affici potest. Hæc febris contagiosa sæpè denunciatur hanc propter causam, scilicet, quia malè confunditur cum typho, et febre carcerum atque navium in insulas Indiæ Occidentalis per naves militares vecta, quæ febris rebus ita se habentibus, sæpè flavedine cutis comitatur ; et hæc flavedo cutis, quamvis parùm constans, opinionem inducere videtur has febres ejusdem esse speciei atque eadem remedia postulare. Febris contagiosæ cursum vidi, dum ad Indiam Occidentalem, nave bellicâ cui nomen est *Regulus*, navigarem. Ex ducentis nonaginta quatuor nautis hæc febris ferè centum occupavit. Eadem et nave, et cum eisdem nautis, navigans, febrem flavam vidi et tractavi ; et intra duas has febres nulla vera est similitudo, neque facie earum externâ, neque modo quo grassantur, neque methodo medendi.

medendi. Multis ægrotis eorum qui typho tentati fuerunt, cutis flavedo adfuit *. In nave contagio facillimè observatur; quoniam gradatim sese extendit a partibus primò affectis ad partes vicinas serpens. In febre verò flava, nihil hujusmodi observari potest; et exemplis ferè omnibus hujus morbi originem ejus ex externis atque perspicuis causis monstrare possumus, quinetiam ex ægrotis de hoc morbo ad sanos nunquam sese extendit hic morbus. In omni bellica nave, ubi et propter locum nimis coarctatum, et propter necessitatem navem semper habendi prælio præparatam, ægrotos e variis morbis a se invicem separare non possumus. Non rarò evenit, ægrotos e morbis localibus, atque eos laborantes e febre flava, uno eodemque loco decumbere: nunquam tamen etiam in hoc casu observavi morbum febrilem communicari,
vel

* Res est summâ observatione digna, quoniam exinde aliquod de prophylaxi docemur, nec unicum eorum nautarum qui typho laborabant ex febre flava ægrotum fuisse, per biennium quo his regionibus tunc temporis fuimus.

vel ad alios ægros, vel ad eos qui ægris remedia ministrabant. His ritè consideratis, nostra est opinio, hanc febrem derivari ex temperie cœli auctam, certè in multis exemplis tam malo modo vivendi et insolatione, quàm ea compaginis constitutione, quam suprâ memoravimus, utpote causa ad hunc morbum mirè prædisponens*. Incolarum immunitas tota harum insularum ex hac febre; ferè similis immunitas puellarum, et puerorum ante ætatem puberem; atque etiam fœminarum quarum compages minùs firma est; et quoque eorum qui proveciore sunt ætate; omnia hæc probè indicant hanc febrem non propagari contagionis vi. Ea corporis humani constitutio et compages, is modus sive ratio vivendi, quæ meliùs resistere possunt, harum regionum frigori, vix benè sustinere possunt, India

* Hoc loco simul considerare volo, effectus caloricæ, lucis atque rarefactionis atmosphæricæ in sanguinem densum, atque fibram corporis irritabilem juvenis Europæi, qui jam nunc has regiones adiit.

diæ Occidentalis calorem corpori admotum, primis præsertim temporibus *.

E contrario, ea corporis constitutio quam incolæ regionum calidarum habent, vel quam longo tempore calori assuetus possidet, nostra frigora vix tolerare potest: porrò, si harum regionum tropicalium incolæ ad nostra littora frigidiora appropinquarent, eadem multitudine atque eodem modo, ac nostri milites et nautæ Indiam Occidentalem appropinquant; nil dubius sum, quin si hoc fieret, præsertim tempore hiemali, multitudines eorum ex temperie cœli frigida perituras, atque eos cœlum Angliæ eodem cum horrore contemplaturos esse, ac nos nunc Indiæ Occidentalis fervidam et perpetuam

D

æstatem.

* Jamdudum longè observavi nexum inter hanc febrem, atque cœli temperiem, ut facilè equidem videbitur ex literis quas olim scripsi ad JOHANNEM DUCKWORTH, Baronettum; virum pariter insignem propter scientiam navalem, atque virtutem bellicam quibus ornatus est; ac propter humanitatem, et attentionem benevolam, erga ægrotos, et omnes qui sub imperio ejus positi sunt: has propter causas omninò inductus essem ut scriberem. (Vid. Appendicem).

æstatem *. Verè observatum est a doctissimo BLANE, regionem Occidentalem Indicam contagioni disseminandæ esse inimicam, atque eadem nobis omninò est sententia : atque insuper adderem, contagioni speciei particularis, nam nunquam vidisse reminiscor aliquod psoræ exemplum bonum his regionibus, atque etiam gonorrhœa virulenta, et ulcuscula syphilitica ibi
longè

* Faciliùs est forsitan effectus nocivos frigoris cavere (si nimium non sit) quàm caloris, quoniam vestitus hoc casu ferè nil valet, illo multùm. Si ope vestium lanearum calor externus corporis superficiem attingere non possit, tamen intereà corpus ex proprio calore atmosphæram calidam generat, quæ non nocere vix non potest, præsertim calore fervido harum regionum ; cùm verò temperiem ita auctam addamus temperiei externi aëris, facilè videri potest periculum multum ex vestitu laneo oriturum.

Constitutionis humanæ vires medicatrices adversus caloris effectus, atque etiam frigoris, non me latent ; hæ vires verò certum habent modum, ultra quam vel citra, exerceri non possunt sine vitæ discrimine. Vid. Append.—Caloris gradus directi et reflexi.

longè rariora sunt inter nautas, quàm dum Angliam habitant*.

Labor sub sole fervido, vel per se, vel cum ratione intemperata vivendi junctus, originem dare possunt huic feбри. Sæpenumerò vidi morbum inter eos grassari, quibus fuit necessitas ad terram applicandi propter negotia navalia; nunquam verò vidi febrem ex his ægrotis ad sanos sese extendere; et modo ferè sequenti per omnes navis nautas febris serpit. Officia eorum qui ægrescunt, dum aquam et ligna ex littore afferunt,

* “It is accordingly observed, that infection is much less apt to be generated about the persons of men, and that it adheres to them for a much less space of time, in a hot climate, than in a cold or temperate one. This is a remark, which, so far as I know, has not been made by any author; and, till observation suggested it to me, I fancied the reverse to be the truth. I have seen so many instances of filth, and crowding in ships and hospitals in the West Indies, without contagion being produced, and which in Europe would hardly have failed to produce it, or to render it more malignant, that I am convinced there is something in tropical climates unfavourable to the production and continuance of infectious fevers.”—Vid. Diseases of Seamen, p. 276.

afferunt, dum vela et funes aptant, atque aliis muneribus navalibus funguntur, (ad quæ facienda navicularum necessitas est), hæc omnia ab aliis qui adhuc benè valent nunc facta sunt: iisdem periculis hi nunc sunt obnoxii, ac priores: nunc hi posteriores ex similibus causis ægrescunt, et sic deinceps per omnes nautas disseminatur febris; quæ ortum trahit ex diversis muneribus laboriosis quibus occupati sunt, ex modo vivendi quàm maximè intemperato, dum interea regionis vires ignorant; non omninò verò ex contagione*.

Consilia inita haud ita pridem ab iis qui rempublicam gubernant, hac febre tunc temporis veluti contagiosa posita, aptissima fuêre ad extinguendam eam animi anxietatem, quâ omnes ferè homines tentabantur. Tametsi verò sum-

man

* Impressionum morbosarum systemati magnitudo, atque varietas impressæ ex actione morbida superficie derivata, per partium consensum solum, longè majores sunt opinione. Hæc febris totam corporis fabricam citò destruit, impressionibus morborum a superficie derivatis (ut mihi videtur) ad partes internas atque vitales communicatis.

nam benevolentiam hæc consilia pro publica sanitate monstrant ; tamen confitendum est vix necessaria fuisse, nam donec fit res. possibilis temperiem cœli navicula portare, vel navi longâ, vel donec aliqua mutatio horribilis mundi systematis fit ; prorsùs ridiculum est timere mortem Anglia ex his causis quæ Indiâ Occidentali milites et nautas nostros tam crebrò perimunt. Sine investigatione accurata causarum remotarum, prorsùs vana atque inutilis fit omnis quæcunque demùm morbi hujus prophylaxis. Satis mihi jam longo usu persuasum est, multos non omninò tentari, si doceremur hunc morbum ortum suum ex cœli temperie, non autem ex contagione, originem suam ducere. Communis sensus usus, methodum propriam indicaret, scilicet quomodo vitare possumus, supradictas morbi causas ; verùm simul ac tentamus nosmetipsos ex malo imaginario protegere, persæpè in errores gravissimos ducimur, atque animi attentio ex malo vero ad phantasma merum errat.

PROPHYLAXIS.

Ex multitudine sæva, atque ferè infinita, morborum quâ genus hominum perpetuò per totum vitæ decursum premitur, unius tandem didicimus jam penè effectus lethales subjugare, vel saltem magna ex parte minuere; hoc verò fit, vel morbum ab uno ægroto ad alterum jam sanum, tempore apto, transferendo, vel methodo simplici præparationis, antequam morbum inserimus. * Nunc quoque vera cum voluptate vidimus hoc morbum contagiosum ex toto subjugatum; ingenio summo atque solertiâ maximâ unius medici, cujus labores indefessi tandem remedium invenerunt, cui vix æquale ullum medicinæ historia præbet; hoc est, si remedii alicujus vires ex felicibus ejus effectibus ad totum hominum genus sese extendentibus, (atque proculdubiò,

* Allusio fit hoc loco ad inventionem felicissimam Doctoris JENNER.

culdubiò, hæc est vera methodus), æstimemus *. Maximè lethalis certè est variola inter eos qui temperamentum simile habent iis quos febris flava vexat, atque quorum saluti vel etiam vitæ est maximè periculosa. Quicumque etiam firmæ et validæ compaginis corporis est, multò plus periculi variola naturali captus habet, quàm compages corporis ad inflammationem minùs apta. Simul ac enim grassatur morbus, actio febrilis sequitur, et nisi citò occurritur, formam putredinis ostendit; multùm verò abest hanc proclivitatem ad putredinem, derivari ex materie morbifica variolæ ipsius hoc modo disseminata, sed rectiùs ex statu proclivi corporis ægro- tantis. Huic terminationi variolæ confluentis obviam ire possumus vel relaxantibus remediis priusquam formatur morbus, vel sanguinis missione statim ac incipit; neque enim methodo me-
liore

* Scorbuti quoque expulsio ex navibus, laboribus Doctoris TROTTER, cum disciplina meliori per naves nunc observata, planè indicant effectus miros oriri posse ex causis quam maximè simplicibus ritè applicatis.

liore proclivitati ad putredinem occurritur, si ex inflammatione derivetur, quàm remediis evacuantibus, scilicet sanguinis missione, et cathartici, strenuè et citò applicatis *. Bona quæ oriuntur ex usu remediorum prophylacticorum nempè temperantiæ, aëris puri atque frigidi, cum cathartici, et sanguinis missione, variola mitiganda, cui ferè omnes opportuni sunt, sperare quoque nos multùm facit in hoc morbo non contagioso, et cujus lethales effectus constitutionem peculiarem corporis tantùm grassantur, dum alii ferè sunt immunes. Eam corporis constitutionem cui morbus fit periculosus medici benè noscunt, etiamque eam quæ ferè immunitatem habet, vel saltem formam morbi mitiorem. Tametsi autem multa adhuc desiderantur, priusquam ad summam certitudinem in hac re, maximi momenti ventum est; tamen, ut mihi quidem videtur, satis jam scientiæ medicæ nobis est, ope cujus, possumus, (constitutione corporis, et vigore vix læsis), eam mutationem efficere

* Hoc loco intelligo vigorem ætatis maximum.

efficere quâ prævenire possumus omninò hunc morbum, vel saltem quo magis medicabilis fiat, ideoque reverà minùs lethalis. Verùm enim- verò dum hanc rem, summi omnibus momenti, tractamus, necesse est dicere consilia atque opiniones medicorum exactè persequenda esse, et habere auctoritatem quàm maximam debere; atque præsertim auxilia omnia cujuscunque generis a viris publicis iis offerri. Ad persequendum hujus generis consilium, eligi debent medici qui usus ejus jam benè nôrunt; et quorum peritia atque æstimatio publica facerent, ut omnes alacriter sese accingerent ad hanc rem perficiendam, quæ est summi pretii omnibus, tam mercatoribus atque militibus, quàm animo benevolò præditis *. Dum hanc rem perficere conemur, memoriâ semper tenendum est, constitutionem validam atque plethoricam hominis Europæi esse subigendam, intemperatum vivendi modum ejus nec cœlo aptum omninò reprimen-

E dum

* Intelligo nempè expeditiones navales vel militares magni momenti.

dum esse, et his perfectis febris flavæ character periculum ferè nullum habet. Quæcunque remedia intra paucos felicem eventum præbent, hæc perfacilè certis legibus extendi possunt ad libitum, atque prophylaxin quam nunc propositurus sum sæpè per tria itinera quæ ad Indiam Occidentalem feci, successu quàm optimo applicavi. Tam ex suprà dictis, quàm ex experientia et rerum analogia, quibus opiniones meæ pendent, facilè videri potest, quod nobis persuasum est, præparationem aliquam et restrictionem arctam, esse necessariam omnibus Europæis dum has regiones petunt, præsertim verò iis quorum constitutionales vires atque vigor ad hunc morbum proclivitatem quàm maximam dant. Nobis equidem videtur, multum beneficii oriri posse ex usu sapiente remediorum evacuantium. Perpensis benè interim diathesi, ætate, atque habitu corporis periclitantis, donec systema tali modo subigere possumus, ut facilè sustinere potest auctam cœli temperiem homini Europæo maximè mortiferam, non propter contagionem sed quia calori insolito parùm accommodatus est, neque vidit præmia vitæ magis sobriæ, idedque

ideòque tolerare non potest prohibitiones ad salutem suam pro tempore necessarias. Ad obtinendum res supradictas, ratio optima erit adhibere sanguinis missionem, remedia cathartica, cibum modicum, et abstinere in toto ex vini atque spiritûs ardentis usu; pro his bibendæ sunt aqua pura si adsit, vel cum aliquantulo vini mista, cerevisia tenuis, atque aliæ hujusmodi; et minuenda est necnon quantitas cibi animalis*. Vestes e lana, balneum frigidum, vinum et cinchona, laudatores suos habuerunt, diversis temporibus veluti remedia prophylactica fuissent.

* Necessitas est nulla hanc rationem perseguendi, vel impuberibus vel ætate provectoribus vel delicatulis; sat est dijectio alvi libera his casibus. Olim forsan periculosa foret hæc methodus, cùm nautæ procliviores essent ferè ad scorbutum. Subactus verò nunc omninò est scorbutus, atque exindè verisimile est (augentur etiam luxuria, atque numerus eorum qui has terras adeunt) febrem flavam tam frequenter grassari. Nam juvenilis ætas atque summus corporis vigor, huic morbo maximè obnoxia, atque insuper meâ quidem opinione proclivitas ad scorbutum vel solidarum vel fluidarum partium hujus febris viribus obviam ire potest, quæcunque sit corporis compages.

sent. Nihil autem prosunt vestes laneæ, id est dum sanitas solita corporis adest, atque dum pericula vitæ solita tantùm experti sumus. Immò etiam periculosæ sunt hæ, atque damnum afferunt, præsertim juvenibus, et torosis, nam excitant atque augent proclivitatem ad motus abnormes, quoniam calorem corporis quàm maximè accumulunt; atque ideò irritabilitatem summæ cutis; quæ cutis irritabilitas rursùs, totum corpus consensu partium afficit. Usus excretionum per cutem, in his atque omnibus aliis regionibus, negari non potest; nimix verò fieri possunt hæ, atque ita turbare actionem æqualem omnium corporis partium, nimiâ derivatione ex qua valetudo bona semper atque præsertim pendet. Renum vires sanæ minuuntur, ideòque parùm aptæ fiunt ad munera propria, inde torpor eorum; neque absurdum est dicere partes vicinas quoque hanc læsionem renum participare; intestina quoque ex eadem causa constipantur, res perniciosissima hæc, atque prosperæ valetudini maximè inimica his regionibus. Vestes laneæ quoque, quoniam sudorem perpetuum excitant, desiderium bibendi, sive polydipsiam,

siam, sustinent; hoc modo ventriculus perpetuò irritatur atque distenditur, et concoctionis vires ita minuuntur. Hoc modo *intemperata* methodus vivendi persæpè sensim oritur, atque ita vestes laneæ pro remedio morbos afferunt, qui strenuam animi formam prorsùs destruunt, adeò necessariam militibus, nautis, atque etiam omnibus qui has terras adeunt. Harum vestium usus est corpus protegere, ut asserunt, contra cœli temperiem quoad calorem variantem; sed de hoc effectu dubitari potest, præsertim post longum earum usum. Porrò talis methodus calorem corporis inusitatum servandi, perniciosa fit, quoniam calorem cumulat his constitutionibus ubi sanguis motus ultra modum jam concitatur, atque ideò minui debet vestitu leviore atque pleno aëris externi usu. Ubicunque solita cœli temperies (etiam sub umbra) prope gradum nonagesimum stat, non verisimile est perspirationem cuti repressam, diminuto cœli calore, rebus vitæ solitis morbum allaturam.

Perspiratio cutis certè minuitur febre flavâ, atque aliis harum regionum morbis; hoc verò indicium calore, non frigore, sese nectit, atque
ideo

ideo considerari debet utpote effectus aggravans morbum, non autem ejusmodi causa primaria. Harum vestium usus quoque malus est, quoniam munditiis corporis parùm favet; nauta enim per longum tempus has vestes forsitan nec mutat nec renovat, ideòque fomites fiunt, sordibus putrescentibus e corpore excretis impleti, atque idcirco ad sanitatem corporis minùs aptantur.

Multitudo hominum magna quæ de hac febre periit in insula dicta Sancta Domingo, etiamque per cæteras insulas, quamvis armata, ut ita dicam, his vestibus, miserè sed planè monstrat eas nihil profuisse contra talem hostem. Vestitus levis, quali æstate homines utuntur Angliâ, ut mihi quidem videtur, longè optimus est his regionibus, quoniam calorem corporis (ad inflammationem jam proclivis) nec cumulat nec auget. Ex prædictis nobis persuasum est, omne hoc pannorum onus Angliæ aptum, exui debere simul ac Indiam petimus, præsertim si sanitas corporis adsit.

Vestitus levis hujus naturæ benè convenit, tam militi quàm nautæ, ubi nec negotia militaria,

neque

neque navalia, præter solita urgent. Ubicunque verò homines ad aëra nocturnum exponuntur, vel naviculis, vel solo nudo dormiendo, atque etiam ubi fatigantur his laboribus, nec somnum solitum habent, atque ideo debilitantur, certè tunc talis e lana vestitus benè convenit. Ubi verò hæ causæ non adsunt, perpetuus harum vestium usus nihil prodest militi, ubicunque est vera necessitas iis utendi. Haud inexpertus loquor, nam in talibus laboribus multum boni ex his vestibus accipi, ideoque certè benè prodesse possunt aliis. Vestitus e gossipii lanugine fabricatus, levis est, atque omnia bona lanæ habet (solitis nempe vitæ laboribus), ideoque meliùs convenit sole ardente harum plagarum.

Frigus corpori admotum sub forma balnei, atque cinchonæ usus, ambo vires Europæas corporis et dant et sustinent. Has propter causas, ut mihi quidem videtur, periculum afferunt, quoniam eum relaxationis gradum pellunt quem inducere vult medicus systemati vascolari; et proculdubio corporis constitutionem magis obnoxiam morbis hujus cœli reddunt, quàm aliter foret.

Balneum frigidum et cinchona (præsertim verò prius) prosunt iis qui longo jam tempore assueti sunt huic cœlo, et exindè aliquatenus debilitantur. Ratio optima sanitatem tuendi eorum qui has insulas petunt, et qui adhuc possident vires Europæas, est medicamina purgantia adhibere bis vel ter in hebdomada, durante navigatione; et sanguinem mittere antequam ad terram navem applicant, benè perspectis viribus hominis. Modum quoque vitæ temperatum, quoad cibos et potus, strenuè exercere, omnem exercitationem et laborem quatenùs fieri potest exsequi, sine insolatione; saltem donec homo assuetus est. Ad has res obtinendas, somnus maturè sumendus est, et diluculo surgere bonum est.

Quod potum attinet, vinum pro spiritu ardente cum aqua mixtum meliùs est; vinum optimum esse debet, atque etiam purificari ex omnibus fæcibus, antequam ex Europa mittitur, sic enim omne fastidium ventriculi tollitur, quod oriri potest ex mutato potu, atque etiam fæcibus vini omninò emissis meliùs servantur intestina; etiam vina optima, si hoc modo non purificantur

purificantur fastidium creare possunt *. Balneum tepidum ubicunque fieri potest bonum est remedium, quoniam compaginem laxat, atque ad cutem aliquatenus humorem trahit sine irritatione, et ideò auxilium erit aliis remediis.

Nautæ qui proveciores sunt ætate propter naviculas seligi debent, donec omnes nautæ pariter ad cælum sunt assueti. Hoc modo ministrari potest; nempè decem, quindecim vel viginti ex

F

iis,

* Hoc loco dicitur de vino purificando (præsertim pro militum et nautarum usu) ex fæcibus suis, atque etiam supertartritide potassæ, quibus abundat; talis enim methodus sanitati auxilio foret, atque etiam omne fastidium nautarum pro vino amoveret, adempto eorum *grog*, cujus amantissimi sunt.

Bynês essentia in fermentationem acta cum sacchari fæcibus (scilicet qui crystallizari non possunt), non solùm bonum potum atque ad sanitatem aptum formant, verùm etiam antiscorbuticum non contemnendum. Dux navalis EYRE, qui navi bellicæ Regulo olim imperavit, quique ornatissimus est tam virtutibus bellicis quàm morum elegantia, omnia bona ex *bynês* essentia derivanda citò observavit, atque omnibus modis eam affatim habere pro convalescentibus et ægrotis tentavit.

iis, remedia proposita (venæsectionem et cathartica) uno eodemque tempore pro re nata habere possunt. Hâc methodo atque his restrictionibus, ad quarum usum vel exemplo aliorum vel autoritate justâ facilè perducuntur, et aggressio prima et periculosa cœli vincitur, atque ita gradatim cœli temperiem sustinebunt, quæ aliter forsan mortifera foret. Prætereà, stimulantia omnia morbis tractandis vel augeri vel minui debent sensim, ut benè nôrunt medici, ubicunque necessitas est magna eorum ; atque hæc vera sunt quoque de cœli temperie.

Dum ex Anglia ad Indiam navigamus, timore affici non debemus, propter cœlum mutatum vel propter mortis periculum ; tamen pariter necessarium est nobis, ac officium est patriæ et amicis, omnia remedia tentare ad sanitatem tuendam spectantia, et ob hanc rem vita temperata maximè præstat, et ideo semper persequenda.

RATIO MEDENDI.

LONGE dissentiunt inter se medici de methodo vera hunc morbum tractandi. Hæc opinionum diversitas, oritur tam de variis sententiis quas habent, de effectibus cœli harum regionum in corpus humanum, quàm de febris ipsius natura. Nonnulli putrescentem hunc morbum esse contendunt, atque ita ad hanc regulam suam curandi rationem formant; alii verò hæc negant, et idcirco methodum medendi toto cœlo ex supradicta diversam amant.

Primi stadii febris flavæ celeritas, cum horrore quem habent Angli, præsertim verò milites et nautæ confitendi eos morbo laborare, causæ sunt quare sæpenumerò medici nihil præter ultimum morbi stadium vident, atque ideò ex hoc solo (prætermisso primo) opiniones suas de natura ejus assumunt, atque inde putridam esse proclamant. Hæc opinio parùm accurata roboratur magno modo notione præconcepta, et ferè omnibus familiari; nempè, cœlum harum regionum

num extemplò debilitare fibrã corporis animallem. Error certè gravissimus hic, atque exindè ortum habet, scilicet quia non ritè distinguimus desidiam inter et debilitatem, et ex hac causa multùm fallimur de effectibus primariis hujus cœli; et hâc notione etiam medici ipsi decepti, persæpè nunquam autumant de aliquo morbo harum regionum remediis evacuantibus medicinali. Quod attinet effectus primarios caloris, gaudeo eandem me habere opinionem ac medicus inter nostros hodiè celeberrimus*.

Hâc

* “ Idem ferè monendum est de calore, qui omnium ferè qui hactenus cogniti fuerint stimulorum, et maxime generalis, et efficacissimus esse videtur; scilicet, qui non modo musculos animalis jam vegeti et mœbilis ad contractionem ciet; sed languentia et torpida et penè exanimia ad motum et vitam excitat; qui multis animalibus alter vitæ fons est, ovumque aliter nunquam victurum ad vitam brevè perducit; qui omnibus animalibus necessarius est ad varias excitandas propriisque muneribus aptandas partes, præsertim cerebrum; quique ex eo pendent nervos atque musculos; qui denique tantum in corpus humanum imperium habet, ut auctus sensum et mobilitatem mirum in modum augeat,

minutus

Hâc febre stadia duo facilè distinguuntur, quæ nostrâ quidem sententiâ rationem medendi omninò diversam, alterum ab altero, requirunt; summæ injuriæ est igitur primo stadio febris ea remedia administrare quæ secundo apta sunt, et vice versâ. Ea corporis constitutio, quam ii possident qui huic feбри maximè sunt obnoxii, longè distat a proclivitate ad putredinem, ut vires eorum perfectissimæ tam mentis quàm corporis planè monstrant. Persæpè maximè robusti atque torosi ex nautis occupantur morbo, etiamque qui eam corporis constitutionem habent quæ ad morbos inflammatorios quàm maximè appropinquat. Porrò hos, si cum aliis minus validis eodem morbo vexatis comparentur, citiùs ad mortem rapit nisi citò occurratur. Cùm primùm medicus ægroto de hoc morbo ministrare cœpit, memoriâ tenere semper debet, sævam febris naturam vel citò medicinâ vincendam,

minutus minuat ad torporem usque et paralysin.”
Cap. xxx, pag. 304, 305. Conspect. Med. Theor.
vol. ii.

dam, vel citò ægrotum undequaque aggressum nec ampliùs sustinere prælium parem, trucidaturam.

Primo hujus morbi stadio, ab omnium usu abstinere debemus quæ excitare possunt. Omnis medendi methodus quæ systema stimulat (jam ad inflammationem proclive) vitanda, quoniam mala est, atque exitum lethalem morbi ferè affert. Opium, cinchona, camphora et vinum, pessima sunt initio hujus morbi; ipsum calomelas nisi pro cathartico, quamvis tam mirè laudatum, mortem sæpè accelerat, nisi cautè detur, et nisi venæsectio et cathartica priùs liberè adhibeantur, etiamque plùs valent hæc calomelane (quod ad os dirigitur) hunc morbum subjugando.

Quinetiam minimè necessarium hydrargyrum reddunt, usque ad ptyalismum datum, talès evacuationes. Summo cum beneficio persæpè mutare possumus unum morbum pro altero minùs terribili, morbo primario ideòque facilius remedium habente. Hoc modo hydrargyrum in lue venerea atque aliis multis morbis, quæ actionem auctam non monstrant, utilissimum est. Nul-

lus verò prudens medicus tali remedio confiderit, vel phrenitide, vel pleuritide, vel enteritide, quantitate magnâ dato, quoniam primarii ejus effectus sunt corpus excitare, et postquam debilitatem summam et vix non lethalem inducere.

Etiam si verò hos effectus non haberet, benè notandum est, summam cutem, ventriculum et intestina eo statu esse, ut corporis constitutio hydrargyro vix affici potest. Dum febris urget necessitas est celeriter reprimendi vel mutandi actionem morbosam systematis; hoc verò ope hydrargyri effici non potest. Ad illustrationem hujus rei, ponemus aliquem de hac febre ægro-
tâsse per viginti vel triginta horas, et flavedinem cutis, cum aliis malis benè multis, occupaturam intra tres, decem, vel quindecim horas, nisi citò occurritur morbo, et tunc putredinem quoque sese ostendisse. His ita se habentibus, (neque exempla talia sunt rara, et in genere, hoc exemplum denotat cursum morbi), malum esset remedium certè hydrargyro fidem habere, vel per cutem lentè absorpto, vel per os devorato, quoniam certè auget irritationem morbosam qua
constitutio

constitutio corporis laborat. Mutationes quæ partes externæ subeunt, cùm morbo laborant, ex hydrargyri viribus, forsàn hanc rem adhuc magis illustrabunt.

Inguinis bubo sæpenumerò comitatur inflammatione igneâ ; dum hæc adest, sagax medicus hydrargyrum deponit, atque hirudines admovet, ut inflammatio, quæ nimis est, aliquatenùs extinguatur.

Sin autem etiamsi inflammatio perstat, hydrargyrum applicare persistimus, nisi rumpatur bubo, atque ita pus eliminetur, et inflammatio hydrargyro aucta cessat, mortuæ fiunt partes, et latè separantur ex sanis. Cùm hydrargyro utimur ad febrem flavam sanandam, præsertim simul cum opio, nisi ptyalismus, diarrhœa, exanthemata, vel sudor erumpant, constitutio corporis citò labitur, et in eum statum malum deferitur ad quem prohibendum omnes conatus nostri dirigi debent.

Dum hanc febrem fugare tentamus, corporis diathesis præsertim notanda est. Experienciâ multâ atque longo usu docti, rationem medendi sequentem, secundum ætatem, vires, atque constitutionem

stitutionem corporis ægroti mutatam, prætulimus.

Primo febris flavæ introitu in usu fuit sanguinem mittere usque ad decem, quindecim vel viginti uncias; hæc venæsectio rarò ægrotum non sublevavit, atque etiam plenum et validum pulsum minuit.

Calomel vel privatim, vel cum jalapa junctum, ad intestina movendum aptum fuit, simulque clysmata stimulantia ad alvum ducendam frequenter injecta fuerunt.

Cùm vel calomel per se, vel cum jalapa mixtum, et clysmata quoque, minùs celeriter alvum exonerabant, tunc magnesiæ sulphas auxilio fuit, tartris potassæ, vel sulphas potassæ cum sulphure; vel infusio tamarindorum cum senna, quibus supertartris potassæ et spiritus ætheris nitrosi addita fuerunt, ad velandum gustum et odorem ingratum sennæ. Infusio sennæ vel sales secundarii, in dosibus parvis atque sæpè repetitis, dati ad liberam intestinorum evacuationem sustinendum optimè præveniunt ventriculi irritabilitatem; molestissimum simul atque periculosissimum indicium hujus morbi.

Ægroti capillitium semper abradi debet, et involvi pannis linteis aquâ frigidâ immersis, hoc enim bonum est remedium. Partes circa ventriculum quoque refrigerari debent simili modo ac caput *.

Julapium salinum datum fuit proportione necessariâ, etiamque carbonas magnesiæ ter, quater, vel quinquies in die pro absorbente.

Si prima sanguinis missio, sanguinis velocitatem satis minuisset, tunc epispastica ampla ad ventriculum atque intra humeros admota fuerunt. Dum epispasticis utimur, irritatio sæpè oritur; hanc verò prohibere possumus, ægrotum aquâ frigidâ immergendo. Hoc verò fieri potest bis terve dum epispastica applicantur, et felicem ferè habet effectum, ut irritatio minuta atqua remissio morbi pulsu indicata benè monstrant.

* Applicatio ætheris sulphurici temporibus, regioni ventriculi, atque reverà toti corporis superficiei, prodesse possunt statu diluto, nam dum hoc modo applicetur, effectus ejus refrigerantes obtinentur sine periculo quod oriri posset ex vi stimulante ejus. De usu ejus hoc morbo parùm dicere possum ex experientia.

strant. Cùm proclivitas ad diaphoresin ex balnei frigidi usu orta sit, elicita fuit dilutione, pediluvio tepido, et pulvere Jacobi.

His omnibus methodis simul applicatis, (nempe venæsectione et applicatione capiti et ventriculo aquæ frigidæ, epispasticis atque aliis medicamentis jam dictis), solutio morbi sæpè facta fuit.

Dum frigus hoc stadio applicarem, non ideo feci ut reactionem augerem, sed ut calorem corporis minuerem et cutis inflammationem (cui status impervius superficiei attribui potest) refrigerarem.

Si benè perspiceris ægrotum de hoc morbo in primo ejus stadio, facies rubore suffusa apparet, pulsant violenter arteriæ; thorax, humeri atque dorsum, colorem erythematosum quoque indicant. Antea epispastica admota sunt, necessarium erit sanguinis velocitatem minuere, etiamsi ad hoc tertia sanguinis missio adhibenda sit. Hæc verò vix necessaria erit, si initio morbi copiosæ fiunt dejectiones alvi medicamentis purgantibus; hæc enim non solùm sanguinis missioni auxilio sunt, verùm etiam insu-

per contra lethalem et nigrum vomitum multum valent.

Epispasticis amotis (cùm omnia prædicta remedia victa fuissent) aquam frigidam applicari potest, rivi more, corporis superficiei; ex hac methodo persæpè sudor, somnum, atque solutio febris fiunt. Sæpenumerò vidi hunc morbum (si modò tempestivè occurritur) spatio temporis pariter brevi subjugatum, ac pneumonia in Anglia usu bono scalpelli. Stadio supradicto, si eventum morbi faustum ex frigore et aliis modis supradictis, sperare non liceret, tunc balneum tepidum tentavi, pediluvia, pulverem Jacobi, vel tincturam opii et vinum antimoniale, ubicunque justè fieri potuit, ad diaphoresin excitandum, vel aliove quovis modo mutationem morbi efficere. Licet hoc loco dicere, hanc methodum nunquam usurpatam fuisse nisi evacuantia largè exhibita fuissent antea.

Stadio secundo hujus morbi, tædet me fateri, persæpè incertum esse medicinæ auxilium. Cùm ea remissio fallax quam suprà historia morbi notavimus incipit, et cùm pulsus exindè minùs incitatur, atque suffusio flava per totam corpo-

ris superficiem funditur, cum vomitu sævo, tunc ratio medendi omninò mutanda est. Sanguinis missio nunc ex toto relinquenda est, atque omnis methodus tentanda est, sustinere corporis constitutionem jam nunc ferè solutam. Impri-
mis, ante omnia alia, tentare oportet intestina movere, tali modo, ut omnia acria deorsùm ferantur, atque ejiciantur. Ad hoc optimum est calomel dosibus fortioribus datum, cui auxilio sunt clysmata; et ubicunque calomel minùs celeriter intestina movet, tunc vis ejus accelerari potest infusione tamarindorum cum senna.

Potiones effervescentes bonæ sunt hoc stadio morbi, atque etiam carbonas magnesiæ, quoniam intestina movet, acorem absorbit, atque acidum carbonicum dat.

Hoc statu morbi, balneum frigidum malum est remedium, si rem ritè consideremus; neque enim est nimia corporis partium actio quæ subjugari debet, neque compages contra frigus resilire potest. Vitandum est igitur frigus, quoniam persæpè hominem ex improvise tollit. Ad balneum calidum nunc igitur confugiendum est, quoniam leviter stimulat, et optimè aptatur,

hoc præsertim tempore, ventriculi irritabilitatem minuere, quoniam ad summam superficiem humorem allicit.

Opium junctum cum pulvere Jacobi, et balneo calido, sæpenumerò utile est; opium verò nunc suas virtutes vix aut ne vix equidem monstrat: sæpè enim neque dolorem minuit, nec irritationem tollit, atque ideo vanum est remedium ad ventriculum sedandum.

Si his methodis ventriculi irritabilitatem nimiam sedare possumus, deinde cinchona, vel aquâ frigidâ infusa, vel pulveris formâ, vel decocta, multo cum beneficio dari potest, cautè tamen, propter ventriculi irritationem ex quantitate nimia orituram.

Vinum vel ex Lusitania, vel Madeira, purum, vel cum aqua et saccharo mistum, dari possunt, ad sustinendum corporis vires contra sævum morbum.

Ubi hæc remedia vincuntur, stimulantia fortiora sunt adhibenda. Durante febre, ægrotus nutriri debet, ex sago, panada, pullorum jusculo, atque aliis hujusmodi. Frigidum habere debet potum, vel ex aqua cum hordeo et oryza decocta,

decocta, vel ex pulmento, vel ex pane cum aqua tosto.

Foveri debet ægrotus omnibus morbis, præsertim verò hoc, maxima cum diligentia, quoad cibum, potum et medicinam, quoniam negligentia optima medici consilia facilè vincit.

Potus frequenter administrari debet, sed parcâ quantitate. Eadem lex sit cibo.

Per totum morbi cursum, munditiæ servandæ sunt summa cum diligentia omni re ; pernecessarius est etiam aër purus ad ventilandum ægroti cubiculum, quod (si nihil prohibet) amplum esse debet. Omnia fæculenta quæcunque, demùm, statim amoveri debent.

Ægrotus, jam convalescens, cibum habere debet concoctu facilem ; gestari quoque debet, præsertim mane, vel equo, vel vehiculo aliquo, pro viribus ejus.

Mutato cœlo citiùs convalescit ægrotus, et animo et corpore, tali mutatione, feliciter affectis.

Si convalescens ad navem redit et navigat, citissimè sanitatem solitam recuperat.

A P P E N D I X



APPENDIX:

EXTRACT of a Letter to Sir JOHN DUCKWORTH, Knight.

*His Majesty's Ship Saturn, Fort Royal
Bay, Martinique, Jan. 16. 1802.*

SIR,

As you will soon command in chief at Jamaica, I do myself the honour of inclosing for your consideration, the copy of a Letter addressed to Sir HYDE PARKER, while he commanded in chief on that station. An uncertainty, whether the hints given were carried into effect, induces me to place them under your eye; as I entertain the highest opinion of your readiness to promote any proposition, which can lead to the preservation of the health, as well as the restoration of the vigour, of those who may have suffered from disease.—My thermometer, on

H

the

the wharf from which the ships are watered, has often risen to 130 and 135 degrees, by the direct and reflected rays of the sun. Compare the approaches of this temperature to that of boiling spirit of wine and water. Look at its influence on the surface of the body, and it will scarcely be possible to withhold assent to the propriety of gradually inuring the body to, and also to guarding it, as much as possible, against the influence of such an accumulated and unusual degree of heat,

EXTRACT

EXTRACT of a Letter to Sir HYDE
PARKER, Commander in Chief, Ja-
maica.

*His Majesty's Ship Regulus, Port Royal
Harbour, Jamaica, May 15. 1799.*

—My recent visit to Rochefort, has recalled strongly to my mind an opinion imbibed some time ago; and a more extended experience of the causes productive of disease, has brought to me conviction, that it is the situation of the watering-place, by its adjoining heights reverberating the rays of the sun with uncommon force, and collecting them as it were into a focus, which renders it more powerfully destructive than other places. My experience, moreover, has taught me, that this concentrated force of the sun, acting on the young and vigorous European constitution, recently from England, is, in
itself,

itself, capable of producing fever of a dangerous and destructive tendency, particularly when aided by intemperance. I therefore hope, as I act under the conviction of these ideas, I shall not offend by also recommending a shade or awning to be thrown over the wharf, from which the ships are watered, as one great means of preserving the health of those men on that necessary duty. And, besides preventing diseases, it will enable them to complete their work with greater personal comfort, under labour, and in a much shorter time.

F I N I S.



